

tura sua, quam res ab Eo creatae, est minus notus *nobis*, quam istae. Quare secundum ipsos mens nostra ad Dei notitiam non nisi ex rebus creatis pervenit. Itaque qui priorem sententiam tenent, statutam methodi legem ita interpretantur, ut ab iis, quae *notiora natura sua* sunt, investigationem veri instituendam esse contendant; qui vero aliam, ab iis, quae notiora sunt *nobis*. Haec ad regulae explanationem innuisse satis sit; quaestionem enim dirimere ad *Ideologiam* spectat.

2° Quamplurimi Philosophi, duce Cartesio, docent notiora, ex quibus ad minus nota fit progressio, ex se perspicua esse oportere. At falso; nam id necessario locum habet in scientia prima, nempe in Metaphysica, quippe quae nullam aliam scientiam supra se habet, sed in aliis scientiis notiora, ex quibus ipsae proficiuntur, possunt esse, ut alibi diximus¹, aut ea, quae per se sunt perspicua, aut ea, quae perspicuitatem ex principiis superioris scientiae assequuntur.

7. Altera lex iubet a noto ad ignotum *gradatim* progredi, ita ut singulae conclusiones ex principiis proximis eliciantur, neque ullus inter eas hiatus existat. Etenim cognitio ultimae conclusionis a cognitione omnium enunciationum, quae ei praecesserunt, pendet; quare nisi omnes enunciationes compertae nobis sint, perfectam cognitionem rei adipisci non possumus.

8. Tertia lex statuit connexionem inter omnes progressionis gradus servandam esse, ita ut in illam nulla irreat enunciatio cum ea, quae ipsi praecedit, haud connexa. Etenim quoties inter enunciationes, ex quibus cognitio scientifica deducitur, vel una tantum cum praecedenti non colligatur, ultima conclusio ex principiis suis minime fluit, et conclusio, quae ex principiis suis non fluit, veritatem quaesitam complecti nequit.

CAPVT II.

De diversis speciebus methodi

ART. I. Diversarum methodorum notiones exponuntur

9. Methodus, qua, secundum diversas Philosophorum sententias, cognitiones scientificas rerum nobis comparare possumus, est vel *ontologica*, vel *psychologica*. Methodus ontologica ea di-

¹ P. 61 et 62.

citur, in qua initium scientiae a cognitione Dei ducendum esse statuitur. Methodus autem *psychologica* est ea, in qua initium scientiae a cognitione alicuius effectus sumendum esse docetur. Ut huius celebris divisionis methodi ratio agnoscat, memoria revocandum nobis est methodum consistere in modo, quem mens ad scientiam assequendam sectatur, atque scientiam tum obtineri, cum res per causas, quae ipsam constituunt, cognoscitur. Iam nonnulli Philosophi contendunt mentem nostram frui directa, ac immediata cognitione Dei, qui est prima Causa omnium rerum, rationesque omnium in se continet, ac proinde scientia secundum ipsos a cognitione Dei proficiuntur. Alii vero docent mentem nostram ita comparatam esse, ut ad cognitionem causae non nisi per cognitionem effectus pervenire possit, ac proinde secundum ipsos scientia a cognitione cuiusdam effectus initium sumere debet. Effectus autem, ex quibus in methodo *psychologica* scientiae initium sumitur, sunt vel res naturales, quae extra nos sunt, vel sensationes, quibus anima a rebus exterioribus afficitur, vel ipsius animae cogitationes. Quapropter methodi *psychologicae* plures species existunt, quarum praecipuae sunt *empirica*, *idealistica*, et *rationalis*¹.

10. His diversis nominibus methodus appellatur ratione diversorum principiorum, ex quibus in iis mens in investigatione rerum proficiuntur. Sed, si ratio habeatur diversi modi, quo in ipsis mens procedit, methodus vel *analytica*, vel *synthetica* appellatur. Methodus *analytica* ea est, quae ab effectibus ad causas, a particularibus ad universale, a compositis ad simpliciora progreditur. Synthetica vero ea, quae procedit a causis ad effectus, ab universali ad particulare, a simplicibus ad composita. E. g., Physici, si ex observatione phaenomenorum profecti, leges, secundum quas fiunt, inquirunt, methodum *analyticam* tenent, quia phaenomena effectus illarum legum sunt; sin ex legibus, secundum quas phaenomena iam nota eveniunt, profecti, nova phaenomena detegunt, methodum *syntheticam* sequuntur, quia illae leges causae phaenomenorum sunt. Methodus *synthetica* vocatur quoque methodus *compositionis*, quia effectum ex

¹ Methodus *psychologico-rationalis* appellari etiam solet *experimentalis*. Etsi autem voces *empirica*, et *experimentalis* idem significant, tamen usus, quem penes arbitrium est, et ius, et norma loquendi, voluit ut his vocibus diversae res significarentur.

causis, quae ipsam producunt, *componit*; analytica e contrario dicitur *methodus resolutionis*, quia effectum in causas, e quibus enascitur, *resolvit*.

ART. II. *De methodo psychologica, et primum de methodo empirica, et de methodo idealistica*

11. Methodus empirica ea nuncupatur, quae scientiam rei a nobis acquiri statuit dumtaxat per experientiam, qua facta exteriora, vel etiam interiora¹ observantur, et per inductionem, qua illa facta fiunt universalia. Quapropter in hac methodo investigatio causarum, ex quibus res efficiuntur, negligitur.

12. Methodus *psychologico-idealistica* methodo empiricae e regione opponitur. Scilicet ea est, in qua experientia, sive observatio factorum tum exteriorum, tum interiorum reiicitur, et scientiam rerum eruendam esse statuitur ex cogitationibus omni realitate destitutis, hoc est, ex ideis menti humanae insilis, vel ex quibusdam abstractis pronuntiatis rationis, quae ab experientia nullo modo pendent.

13. Ultramque methodum reiiciendam esse ex demonstratione sequentium propositionum evincitur:

Prop. 1.^a *Methodus empirica ad scientiam gignendam impar est.*

Probat. Secundum methodum empiricam experimento detegitur aliquid quibusdam individuis inesse, inductione autem illud cunctis singularibus eadem specie comprehensis inesse apprehenditur, sed causa, ex qua illud huic rerum speciei insit, minime investigatur, ac proinde res ex causis suis non cognoscitur. Atqui scientia non oblinetur, nisi cum res per suam causam cognoscitur. Ergo methodus empirica ad scientiam gignendam impar est.

14. Prop. 2.^a *Methodus idealistica cognitionem realitatis rerum, sive scientiam obiectivam rerum nobis praebere non potest.*

Probat. Pronuntiata rationis mere abstracta nec subiectum

¹ Haec methodus fautores habet Materialistas, qui nihil aliud, nisi materiam esse sentiunt, et Sensistas, qui omnes facultates animae ad facultatem sentiendi redigunt. Ipsi enim, cum facultatem intelligendi homini re ipsa tollant, investigationem causarum e scientiis exterminant. Nisi quod Materialistae sola factorum exteriorum observatione; Sensistae autem etiam ex observatione illorum, quae in anima fiunt, hoc est, affectionum, quae ab exteriorum rerum actione in anima efficiuntur, scientias conflari contendunt.

re ipsa existere, nec illi affectionem, quae praedicato continetur, re ipsa inesse manifestant, sed illud dumtaxat inveniunt, si subiectum existit, illi qualitatem praedicato significantam inesse, unde ipsae, si relatae ad naturam considerentur, *hypotheticae* dicuntur. E. g., haec enunciatio, *Omnes radii circuli sunt aequales*, minime denotat aliquem circulum existere, cuius radii sunt aequales, sed id tantum, si circulus vere est, omnes eius radios esse aequales. Item, ideae animae innatae, cum non ab ipsarum rerum actione in anima producantur, aliquid in anima positum, non vero aliquid, quod extra animam existit, manifestare possunt. Hoc praemisso, en argumentum: Principia, ex quibus secundum methodum idealisticam cognitio scientifica educitur, nempe pronuntiata rationis mere abstracta, vel ideae innatae, obiectivam existentiam rerum manifestare non possunt. Atqui conclusiones maiorem, quam principia, vim habere nequeunt. Ergo per conclusiones, quae sunt cognitiones scientificae, obiectivam realitatem rerum, secundum methodum idealisticam, assequi non possumus.

ART. III. *Quaenam sit methodus psychologico-rationalis exponitur*

15. Methodus *psychologico-rationalis* medium locum tenet inter methodum *empiricam*, et methodum *idealisticam*; est enim ea, in qua scientia tum ex factorum observatione, tum ex pronuntiatis rationalibus conficitur. Scilicet secundum hanc methodum mens nostra cognitionem scientificam alicuius rei adipiscitur hoc modo: Primo singularia illius speciei, ad quam res quaesita pertinet, sensibus apprehendit, ac memoria retinet; atque ita sibi comparat cognitionem *sensitivam*, quae *experientiam* constituit¹. Deinde illud, quod per experientiam cognovit, ope inductionis reddit universale, atque ita ad propositiones universales progreditur, quas tamquam principia demonstrationis adhibet. Denique ex his principiis ita comparatis conclusionem scientificam ope syllogismi deducit². Exemplo rem declaremus: Si

¹ Experientia circa facta interna fit per vim reflexivam intellectus. Ad perspicienda autem facta externa opus est *observatione*, quae in factis colligendis, examinandisque consistit, atque *experimentatione*, quae non in eo se continet, ut res, prout sibi occurrunt, examinet, sed substantias substantiis subdit, easque inter sese miscet, atque ita novos, et interdum insolitos effectus, sive phaenomena arte progignit.

² Cf s. Thom., *In lib. II Poster. anal.*, lect. XX.

quis cognitionem scientificam huius veritatis, *Homines libertate gaudent*, ampisci velit, ita secundum leges methodi psychologico-rationalis progredi debet. Primo Socratem, Platonem, Aristotelem, aliosque observans, deprehendit eos libere agere, et statuit hanc experientiam: *Plures homines libertate gaudent*. Quia autem in cunctis hominibus, qui sibi occurrunt, idem constanter perspiciat, ex propositione particulari progreditur ad hanc universalem: *Omnes homines libertate gaudent*. Eadem ratione sibi comparat hanc alteram propositionem universalem: *Omnes homines sunt intelligentia praediti*. Deinde expendens, unde in hominibus libertas oriatur, facile perspiciat causam, cur homines libertate fruuntur, in eo positam esse, quod intelligentia sunt praediti. Hac causa, tamquam medio termino, utitur, ut syllogismum conficiat, unde cognitionem scientificam libertatis hominum eruit, ratiocinando hunc in modum: *Omnia, quae intelligentia sunt praedita, libertate fruuntur; atqui homines sunt intelligentia praediti; ergo homines libertate frui debent*.

16. Ut autem germana huius methodi notio adquiratur, haec monere par est:

1° Secundum methodum *psychologico-rationalem* scientia ab experientia non efficitur; nam experientia nos docet rem esse, sed causam, ex qua res est, non manifestat.

2° Ne principia quidem scientiarum ab experientia efficiuntur; nam principia sunt universalis, experientia autem non nisi circa singularia versatur. Illud etiam advertendum est, principia scientiarum ne per demonstrationem quidem comparari posse, quia, cum ex ipsis demonstratio efficiatur, iam ante demonstrationem comparata esse debent. Quapropter principia, ut diximus, ab intellectu per inductionem efformantur.

3° Etsi experientia non sit proprie causa scientiae, tamen est quodammodo causa scientiae, hoc est initium viae, quae ad scientiam ducit. Etenim scientia ex principiis gignitur; principia autem, seu pronuntiata universalis ab intellectu per inductionem efformantur, atque inductio non nisi ope experientiae institui potest. Experientia igitur est, quae materiam praebet, unde scientia efformari potest.

4° Ad scientiam efficiendam secundum hanc methodum inductione, et syllogismo opus est; siquidem inductio per experientiam principia parat, syllogismus autem ex principiis inductione

comparatis conclusiones scientificas deducit. Nihilominus mens humana scientiam proprie syllogismo, non inductione assequitur; siquidem scientia non in eo consistit, quod principia cognoscuntur, sed in eo, quod ex principiis iam cognitis res quaesita deducitur. Quapropter secundum hanc methodum scientiam non adipiscimur, cum ab effectu ad causam, sive a sensibilibus ad intelligibilia ascendimus, sed cum a causa ad effectum, sive ab intelligibilibus ad sensibilia descendimus. Quod ut accuratius explicetur, advertendum est mentem nostram in comparanda sibi scientia duplex terere iter, nempe *progressus*, et *regressus*, quippe quod ipsa in initio scientiae ab effectu ad causam progreditur; in complemento autem scientiae a causa ad effectum regreditur, ut ipsius effectus cognitionem scientificam acquirat.

5° Exinde consequitur in methodo psychologico-rationali scientiam per analysisim, et synthesisim acquiri, ita quidem ut analysis sit eius initium, synthesis autem perfectio. Etenim secundum illam methodum mens nostra, ut paulo ante diximus, primum ab effectibus, vel a compositis, ad causas, vel ad simplicia ascendit, deinde a simplicibus, vel a causis profecta ad composita, et effectus descendit. Quapropter methodus psychologico-rationalis *analytico-syntheticus* vocari solet.

ART. IV. *Utrum haec methodus ad scientiae adeptionem opportuna sit, investigatur*

17. In methodo, uti diximus ¹, ratio habenda est tum principiorum, ex quibus mens proficiscitur, tum modi, quo procedit in investigatione rerum. Iam methodum psychologico-rationalem ex utroque capite spectatam unice opportunam esse ad scientiae adeptionem, his duabus propositionibus a nobis demonstratur:

18. Prop. 1°. *Principia, ex quibus mens in comparanda sibi scientia proficisci debet, non alia esse possunt, nisi quae in methodo psychologico-rationali adhibentur.*

Probatum. Principia, ex quibus mens scientiam rerum elicit, cum ipsius mentis natura consentire debent; nam methodus ad scientiae adeptionem opportuna non alia esse potest, nisi quae cum natura mentis humanae consentit. Atqui mentis natura, ut suo loco demonstrabitur, expostulat, ut scientia a sensibus, quem-

¹ P. 75.

admodum s. Augustinus ait, *inchoetur*, atque ab intellectu *perficiatur*. Ergo principia, quibus mens nostra ad scientiam rerum pervenit, ea esse debent, quae primum experientia, deinde ratione comparantur. Atqui huiusmodi principia ea sunt, quae in methodo psychologico-rationali adhibentur; nam in ea, ut eiusdem sancti Doctoris verbis utamur, « mens humana prius haec, quae facta sunt, per sensus corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis suae modulo capit, et deinde quaerit eorum causas ² ». Ergo principia, ex quibus mens humana in comparanda sibi scientia proficisci debet, non alia esse possunt, nisi quae in methodo psychologico-rationali adhibentur.

19. Prop. 2^a. *Modus, quo mens procedere debet in comparanda sibi scientia rerum, ille est, qui adhibetur in methodo psychologico-rationali.*

Probatur. Ad scientiae adeptionem tum analysi, tum synthesi opus est, atque ut scientia obiectivam realitatem rerum nobis aperiat, oportet ut analysis synthesi praecedat. Atqui hoc modo, ut diximus, procedit methodus *psychologico-rationalis*. Ergo.

20. Probatur *maior* quoad primam partem. Scientia, uti diximus, per cognitionem causarum, ex quibus res est, efficitur; quapropter ad scientiae adeptionem necesse est cognoscere et causam esse, et connexionem rei cum illa causa, modumque, quo ab ipsa enascitur. Atqui analysi, quippe quae ab effectibus ad causam assurgit, cognoscitur causam esse; synthesi autem cognoscitur, quomodo res a suis causis producitur, et quo vinculo cum illis colligatur, quia synthesis a causis ad effectus procedit. Ergo ad scientiae adeptionem tum analysi, tum synthesi opus est.

21. Altera *maioris* pars ita demonstratur. Si synthesi analysis non praemittatur, tunc synthesis rem probaret per causam non ex analysi, seu observatione rerum sumtam, sed pro arbitrio confictam ³. Atqui cognitio huiusmodi non potest nobis aperire ob-

¹ *Enchir.*, c. 4, n. 2. — ² *De Gen. ad litt.*, lib. IV, c. 32.

³ Monere hic praestat, causam pro arbitrio confingere aliud esse, ac ipsam recto alicuius *hypothesis* usu investigare. Est enim hypothesis opinio ex pluribus principiis probabiliter constituta ad explicandam causam, aut naturam alicuius rei, quae neque experientia innotescit, neque adhuc ratione demonstrata est. Scilicet, aliquando ex phaenomeni observatione eius causam recta via perspicere non possumus. Iam, quoties id accidit,

iectivam realitatem rerum. Ergo, ut scientia obiectivam realitatem rerum nobis aperiat, opus est ut synthesi analysis praemittatur.

ART. V. *De methodo ontologica*

22. Methodus ontologica, uti diximus ⁴, ea est, in qua statuitur mentem humanam Dei intuitionem frui, atque hanc esse principium, ex quo ipsa omnes res intelligit. Hinc secundum Ontologos principium, ex quo res sunt, sive *Primum Ontologicum*, et principium, ex quo res cognoscuntur, sive *Primum Psychologicum*, est unum, idemque principium, quod Giobertius, ut omnis aequivocatio tolleretur, *Primum Philosophicum* dictum voluit.

23. In Dynamilogia abnormitatem ostendemus illius pronuntiationi metaphysici, quod Ontologi asserunt, scilicet mentem nostram immediate intueri Deum. Quatenus ad Logicam attinet, ontologismum refutamus sequenti propositione:

24. Prop. *Methodus ontologica veluti unice opportuna ad scientiam adstrui nequit.*

Probatur. Ut aliqua methodus unice opportuna ad scientiae adeptionem iure dici possit, logicis momentis rationum, sive a scientiae natura petitis inniti debet. Atqui illis momentis rationum, quae Ontologi ad suae methodi rationem reddendam a logica hauriunt, nulla vis inest. Ergo methodus ontologica esse ad scientiae adeptionem unice opportuna nullo iure dicitur.

25. *Minorem* probamus refellendo argumenta ab Ontologis obiecta. Itaque Ontologistae conficiunt hoc argumentum. Si scientia rerum efficitur ex cognitione causarum, per quas ipsae res fiunt, consequitur illam methodum esse ad ipsius adeptionem unice opportunam, quae a causis ad effectus, sive ab intelligibilibus ad sensilia progreditur. Atqui Deus est prima Causa, et primum Intelligibile. Ergo illa methodus est unice oppor-

tuat probabilem causam illius phaenomeni sumere, repetitisque observationibus, et experimentis expendere, utrum per ipsam ratio reddi possit eorum, quae in illo phaenomeno occurrunt. Porro perspicuum est, pro eo ut plura, vel pauciora phaenomeni adiuncta explicare contingit, certum, vel magis, minusve probabile fieri, non aliam re ipsa esse illius phaenomeni causam, quam quae sumta est.

⁴ P. 74-75.

tuna ad scientiae adeptionem, quae a Deo ad res creatas progreditur.

26. At huiusmodi argumentum nil praesidii ad Ontologismum tutamen affert, quippe quod eius maior aequivocatione laborat. Enimvero ipsa ita distinguenda est: Illa methodus ad scientiae adeptionem unice opportuna est, quae progreditur a causis ad effectus in via regressus, nempe descensus, *Conc. mai.*; in via progressus, sive ascensus, *Neg. mai.* Psychologistae concedunt mentem humanam tum rei scientiam assequi, cum a causis ad effectus, sive ab intelligibilibus ad sensibilia descendit, hae enim via rem per causam cognoscit¹. At vero mens nostra, secundum ipsos, immediata cognitione causae haud potitur, sed ad eam per effectus ascendit, neque Deum, Primam Causam omnium rerum, potest aliter, quam per res ipsas, seu effectus suae Omnipotentiae, cognoscere. Ex eo igitur, quod scientia est cognitio rei per causam, sequitur scientiam alicuius rei confici non posse, nisi huius causa cognoscatur; sed quia cognitio causae per effectus obtinetur, initium scientiae a cognitione effectus sumendum est.

27. Instant 1^o Ontologistae: Illa methodus ad scientiae adeptionem unice opportuna est, qua res cognoscuntur secundum illum ordinem, quem ipsae inter se habent. Atqui huiusmodi ordo ex eo constituitur, quod primo sit Deus, et dein res ab Eo creatae, hoc est, primo *Intelligibile primum*, et deinde sensibilia. Ergo methodus ad scientiae adeptionem opportuna illa est, quae ab intelligibilibus ad sensibilia etiam in via progressus procedit.

28. Resp., *Dist. mai.*; si cognitio rerum consideretur relata ad ipsas res, quae cognoscuntur, *conc. mai.*; sin consideretur relata ad modum, quo mens in rerum cognitione progreditur, *neg. mai.*; *conc. min.*; *neg. cons.* Et sane, si cognitio rerum priori modo spectetur, procul dubio cognitio vera esse non potest, nisi mens rem in eo ordine esse cognoscat, quem in rerum universitate habet, quia cognitio tunc vera est, cum conformitatem habet cum re, prout haec in se est. E. g., cum causa sit natura sua prior effectui, cognitio causae vera non est, nisi tamquam prior effectui cognoscatur. Item Deum, et res ab Eo creatas vere non scimus, nisi intelligamus Deum esse Primam Rem, et Pri-

¹ Cf p. 80.

um Intelligibile. At si cognitio rerum posteriori modo consideretur, maior est falsa. Nam ordo, quo mens in rerum cognitione procedit, consentaneus esse debet naturae ipsius cognoscentis, non vero naturae ipsarum rerum cognitarum, quia cognitio non est affectio rerum cognitarum, sed mentis cognoscentis. Atqui mens nostra ita natura sua comparata est, ut non possit cognoscere id, quod est prius natura, nisi ex eo, quod est natura posterius, quia hoc magis notum ipsi est, quam illud. Ergo ordo, quo mens in cognitione rerum progreditur, contrarius esse debet ordini, quem ipsae res tenent. Ex quo consequitur mentem nostram primum cognoscere effectus, et ex horum cognitione ad cognitionem causae pervenire, et proinde ad Dei notitiam non nisi per res ab Eo creatas assurgere. Neque dici potest hanc inversionem ordinis impedire, quominus mens cognoscat verum ordinem, quem res inter sese habent. Namque mens, postquam ex cognitione effectus ad cognitionem causae progressa est, potest intelligere causam esse natura sua aliquid prius, quam effectum, et postquam mens per creaturas ad Dei cognitionem pervenit, facile intelligit Deum esse Primam Rem, et res reliquas esse Eo posteriores; atque ita verum ordinem, quo res inter sese colligantur, cognoscere potest.

29. Inst. 2^o: Res sunt intelligibiles ex eo, per quod actu sunt. Atqui Deus est principium, per quod res actu sunt. Ergo etiam secundum ordinem, quo mens in rerum cognitione progreditur, Deus est principium, ex quo res ab Eo creatae intelliguntur.

30. Resp., *Dist. mai.*; si id, per quod actu sunt, accipiatur de principio formali, *conc. mai.*; sin de principio efficiente, *neg. mai.*; *dist. etiam min.*; Deus est principium formale, *neg. min.*; est principium efficiens, *conc. min.*; *neg. cons.* Et sane, in hac instantia principium formale, nempe illud, quo rerum essentia constituitur, cum principio efficiente, ex quo res suum esse accipiunt, confunditur. Nam cum dicitur res esse intelligibiles ex eo, quod actu sunt, non aliud significatur, quam non posse quidquam intelligi, nisi ex principiis, ex quibus eius essentia constituitur. Iamvero Deus non est principium, ex quo rerum essentiae constituuntur, alioquin ab ipsis rebus non distingueretur. Ergo ex eo, quod res intelliguntur per id, quod actu sunt, haud fluit Deum esse principium, ex quo res intelligere licet. Ex eo autem, quod Deus est principium efficiens, ex

quo res actu sunt, potius colligendum est res in seipsis, et non in Deo esse intelligibiles. Etenim *esse* rerum, cum a Deo pendeat, ab *Esse* Dei distinguitur. Atqui res sunt intelligibiles ex eo, per quod *actu* sunt. Ergo res, cum *actu* sint per *esse* distinctum ab *Esse* Dei, in seipsis, et non in Deo sunt intelligibiles.

CAPVT III.

De methodo eclectica, atque de methodo auctoritatis

Inter diversas species methodorum, de quibus modo diximus, methodum *eclecticam*, seu *electivam*, et methodum *auctoritatis* haud recensuimus, quia haec, nostra quidem sententia, potius cuiuscumque methodi defectus, quam peculiare methodi sunt. Verum, quoniam hac nostra aetate non ignobiles fautores, maxime in Gallia, nactae sunt, illas sine aliquo examine mittere nefas foret.

ART. I. De methodo eclectica

31. Methodus eclectica, quae *ecletismus* quoque dicitur, statuit tutam, et expeditam viam ad scientiae consecutionem esse illam, qua veritates eliguntur, quae in omnibus philosophorum systematis continentur, atque inde perfecta rerum scientia conficitur. Haec methodus, nostra aetate, Cousinium, eiusque discipulos propugnatores habet. Cousinius statuit 1° errorem *purum* in mentem humanam cadere non posse, sed errorem non aliud esse, quam veritatem *incompletam*, quia quaelibet opinio aliquam partem veritatis complecti debet; 2° systemata philosophorum, quae dicuntur *falsa*, ita appellari, non quia nulla pars veritatis in eis sit, sed quia veritatem incomplete exhibent; 3° non aliud philosophiae systema verum esse, quam quod omnia elementa cognitionis humanae colligit, et explicat; 4° nullum philosophum usque ad hanc aetatem complexum esse integram veritatem, sed singulas eius partes modo ab his, modo ab illis expositas fuisse. Ex his confecit methodum philosophandi aetati nostrae unice accommodatam illam esse, quae quotquot a philosophis dicta sunt, colligit, eaque inter se connectit ¹.

¹ *Fragmens, Préf.*

32. Prop. *Methodus eclectica falsa in se est, et falso fundamento innititur.*

Probatur prima pars. Ut, secundum eclecticos, diversae veritatis partes, quas Philosophi seorsum docuerunt, colligi possint, aliqua norma, seu methodus expostulatur. Atqui sive ecletismus hanc normam sectetur, sive ipsam respuat, tamquam via ad scientiam assignari non potest. Ergo. *Minor* ita demonstratur. Si ecletismus quamdam normam, seu methodum sectetur, iam non ecletismus, sed haec, quae ei praecedat, norma est via ad verum inveniendum. Sin omnem normam respuat, partes veritatis ex omnibus philosophorum systematis fortuna quadam construuntur, ac proinde scientia, quae ex illis conficitur, certa esse non potest.

33. *Probatur* altera pars. Neque error est veritas incompleta, neque aliqua veritatis pars in falsis systematis Philosophorum continetur. Ergo ecletismus falso fundamento innititur. Antecedens ita demonstratur:

1° Tum mens in errore versari dicitur, cum asserit id, quod non est, vel negat id, quod est. Tum autem dicitur potiri incompleta cognitione veritatis, cum, etsi non cognoscat omnia, quae rei insunt, tamen asserit aliquid, quod re ipsa ad illam pertinet. E. g., si quis putet hominem esse substantiam mere intellectualem, in errore versatur, quia homo ex anima, et corpore componitur; sin cognoscat hominem esse animal, et ignoret esse rationale, certe perfecta notione hominis haud potitur, sed in errore non versatur, quia re ipsa homo est animal. Ergo error cum incompleta cognitione rei confundendus non est. Neque veritas incompleta est aliquid medium inter veritatem et errorem, sed est aliquid medium inter ignorantiam absolutam, et cognitionem perfectam, quippe quod quisquis illam assequitur, nec rem omnino ignorat, nec totam, quanta est, cognoscit.

2° Si opiniones, et systemata Philosophorum, quae falsa sunt, examini subieceris, nullam veritatis partem in iis, quatenus falsa sunt, deteges. E. g., nulla ratione verum est Materialistarum systema, quo adstruitur, *quidquid existit esse materiale*, neque systema Idealistarum, quo asseritur, *quidquid existit esse spirituale*; siquidem materialismus pro falso habetur, non quod materiam esse adstruit, sed quod ullos spiritus esse negat, et idealismus in errore versatur, non quod spiritus esse asserit,